DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, DE PETITIONE RENOVATIONIS INVESTITURÆ FEUDI,

Quam

DIVINA ADJUVANTE GRATIA,

ex indultu

Excellentissimi JCtorum Ordinis

IN


ALMA WILHELMIANA

PRO

Summis in Utroq; Jure privilegiis & immunitatibus ritè obtinendis placidæ

ACADEMIÆ PROCERUM

disquisitioni



submittit

JOH. LUDOVICUS Geisweidt/

Dillenburg. Nassovicus.

Ad diem 10. Febr. H. locoque consuetis.

Marburgi Cattorum,

Typis JOHANNES HENRICI STOCKII, M DC XCVIII.

SERENISSIMO PRINCIPI ac DOMINO,

DN. HENRICO, PRINCIPI NASSOVIÆ, CATTIMELIBOCI, VIANDÆ & DECIÆ COMITI, DOMINO in BEILSTEIN, &c.

PATRI PATRIÆ OPTIMO,

Principi ac Domino meo Clementissimo.

Hanc qualemcunque Dissertationem, cum perpetuis obsequiis mente devotissima consecro

Serenissimæ ejus Celsitudinis

Subditus & Cliens humillimus

Joh, Ludovicus Geisweidt.



I. N. D. N. J. C.

Disputatio Juridica Inauguralis,

De

PETITIONE RENOVATIONIS INVESTITURÆ FEUDI.

C A P. I.

De origine, derivatione & significatione, petitionis renovationis investituræ feudi.

§. I.



Uàm variæ ſint DD. opiniones in conſtituenda origine feudorum, vel ex eo ſolum conſtat, quòd decem diverſas earum Hunn *tract. feud. c. 1.* Rittershus. verò *12. in part. feud. lib. 1. c. 1. quæſt. 3. & 5.* recenſeat; Unde etiam eſt, quòd non unam eandemque de quavis parte ejus juris invenies. Quemadmodum verò alienum non videtur Longobardos in conſtituendo feudorum jure nonnulla â Romanis mutuatos fuiſſe Joh Ruding. *var. lect. Jur. feud. l. 1. c. 1. num. 14.* Ita & inter plurimos convenit, illos qui primùm feudi jure aliquid poſſede-

runt, temporarios saltem fuisse possessores, & quasi actores, procuratores, aut precarios possessores. Licebat enim domino quandocunque feudum revocare, exemplo precarii magis quam ad naturam commodati, ut quidem Rosenth. ex Germ. Lehen etymologia notat *c. 6. concl. 29. n. 10. tr. feud.* Postea autem feudum concedi ad annum cœpit, ita ut hoc effluxo renovari debuerit concessio sive reipsâ, sive patientiâ, qua ratione & locatio conductio ad tempus renovatur *l. qui ad certum ff. locat.* Deinde feudum concedebatur, quoad vasallus viveret; donec paulatim obtinuerit, ne feudum morte vasalli finiretur, sed ad unum ex filiis ejus quem dominus optaret, & tandem etiam, ut ad omnes filios vasalli perveniret. A quibus initiis hoc promanavit & in successu obtinuit, ut is cui feudum per successionem delatum fuerit, ad illud retinendum, mutata domini aut vasalli persona, investituræ renovationem petere debeat *c. 2. f. 3. pr. & c. 24. pr. & 40. pr.* Hoc verò uti secundum legis præscriptum, acritè fiat, cùm hoc loco diligenter agere constituerimus. Optimus Maximus id ut bene cedat faxit.

§. 2. *Petitionem* autem dictam à petendo esse omninò notum est; at sicut *petendi* vocabulum perquam latè patet, ità & petitionis. Vel enim est quæcunque desiderii nostri expositio & postulatio. Vel aliis significat idem quod actio. vid. Spec. Durand. *part. 1. lib. 2 de actione seu petitione.* Quæ tamen etiam non unius est acceptionis. Aut enim laxiori magis sensu (1.) omnem viventis operationem comprehendit quatenus passioni opponitur. Vel (2.) dicitur jus persequendi in judici quod alicui debetur, quo intellectu ea dividitur in realem & personalem, quarum illæ quidem etiam petitiones, & hæ actiones in specie dicuntur. At quandoque notat etiam idem quod forma & modus, uti veteribus JCtis actio significavit formulam, hoc est rerum agendarum modum & formam Georg. Obrecht. *de concipiend. & formand. libell. c. 1. num. 6.*

CAP. II.

De definitione.

§. 1.

ET hac ratione licebit nobis etiam describere petitionem renov. investit. feudi quod sit actio qua domino vel vasallo mutato, itemque pacto aliave consuetudine loci id alioquin exigente vasallus dominum, pro solenni feudi investitura renovanda, legitimè convenit.

§. 2.

§. 2. Licet enim nomen *actionis* aliàs proprie sit ea persecutio quæ in judicio peragitur *l. 9. C. de obl. & act.* Renovatio investituræ verò propriè nec sit contentiosæ neque voluntariæ jurisdictionis. Quoniam tamen investitura etiam est quasi negotium judiciale, cùm dominus & pares curiæ ordinarii sint in rebus feudalibus judices *c. 2. f. 34. pr. & c. 2. f. 55. §. ult.* Nec non vasallus renovationem investituræ petiturus DD. hinc inde actoris nomine veniat Aurel. Corbul. *de jur. emph. c. 5. num. 19. & seqq.* Sed quod magis, cùm hoc rarum in jure non sit, ut pro subjecta materia verba alicujus stricta significatio ex ratione ad latiorem extendatur per *l. 34. de V. S l. 10. 11. 12. ff. eod.* Et multæ persecutiones quæ se instar actionis habent etiam καταχρηστικῶς actiones appellentur. Clariss. Göddeus *ad. d. l. 34. d. V. S. n. 7.* Nihil obstat quo minus & hoc genus dictæ renov. investit. petitioni tribuamus; Præprimis cùm vasallus renovationem jure quodam suo postulet, & dominum habeat quodammodo obligatum ad renovat. investituræ sibi faciendam, ita ut si eam facere recuset, proprietatem feudi perdat; Unde etiam est quòd dicant: Imperatorem post coronationem teneri, & necessitatis esse ut Statibus Imperii jura sua confirmet vid. Sueder. *comp. jur. publ. part. spec. sect. 1. c. 2. num. 26.*

§. 3. Sed hæc ad definitionem nominalem facere visa sunt. Reipsa verò petitio renovat. investit. feudi nihil aliud est, quàm Vasalli cujuslibet si dominum aut vasallum mori vel alioquin mutari contigerit, infra annum & diem, vel annum & mensem, feudi ad se devoluti à domino legitimè facta recognitio. *2. f. 24. & 2. f. 40. pr.*

Cujus definitionis partes infra pluribus suis quibusque locis videbimus.

CAP. III.

De his qui petere debeant renovat. invest. feudi.

§. 1.

TRaditum autem est in definitione, renovationem invest. petere vasallum per *d. c. 2 f. 24. & 40. pr.* Qui eò quod feuda primum ob militiam constituta videntur in jure eo sæpius miles vocatur *c. 1. f. 21. 22. 22. in fin. 51. in fin.* item fidelis clientulus. *c. 1. f. 4. pr & §. 5. 1. f 13.* Nec interest cujuscunque is ordinis sit, per generales textus alleg. in defin.

§. 2. Enumerantur aliàs 4. Vasallorum ordines in jure feudali Longobardico *c. 2. f. 10. 1. f. 1. & 14.* quorum (1) est Regali sive illustri dignitate pollentium, ut sunt Duces, Marchiones, Comites, qui Capitanei Regni vel Regis dicuntur *c. 1. f. 1. pr.* (2.) est Capitaneorum & valvasorum Majorum in specie ita dictorum, qui absque dignitate Regali de plebe aliqua vel plebis parte, uti v. c. urbe vel castro, sunt investiti. *c. 2. f. 10.* juncto *c. 1. f. 1. pr. in fin. & 14. pr. & §. 1.* ubi hi duo ordines manifestè distinguuntur. (3.) ordo est Valvasorum simpliciter ita dictorum *d. 2. f. c. 10.* (qui respectu præcedentis ordinis videntur valvasores minores dici *c. 1. f. 7.*) & valvasinorum seu dicas valvasorum minorum, *d. 2. f. 10.* qui etiam vocantur minimi valvasores, *d. 1. f. 7.* Utrique eodem jure utuntur, sed tum demum inter valvasores sive nobiliores vasallos numerantur, si antiquitus beneficium teneant *d. 2. f. 10.* (4) ordo est plebejorum *d. 2. f. 10.* vers. *caeterum* Quorum nominum quædam abusu nostræ Germaniæ quidem recedunt; Omnes tamen ii, qui his atque aliis nobis exusu magis venientibus vasalli dicuntur, renovationem investituræ feudi petere tenentur.

§. 3. Etiam superior ab inferiore, v. c. Imperator, vel alius Princeps, si forte ab inferiore feudum teneat, mutatione contingente renovationem petere tenetur; non quidem in persona propria, sed per substitutum, per quem & fidelitatem jurare & servitia præstare solet *arg. c. 2. f. 100.* Rosenth. *c. 6. concl. 31 n. 1. &c.* itemque in *not. lit a.* cum Schrader. alleg. & huc facit quod *cap. 3. concl. 4. n. 1.* Idem Rosenth. dicit: Pontificem aut Imperatorem ab inferioribus feuda habere posse & isto respectu inferiores vasallos esse.

§. 4. De petitione renov. investituræ feudorum quæ Imperator tanquàm Dux Austriæ ab Imperio tenet, agit Limnæ. ad Capitul. Ferdin. *IV. art. 29. voc.* Empfangen lassen *pag. 255.*

§. 5. Nec non Ecclesiæ. *per c. hæc sunt § fin. 2. f. 40.* ibique Alvar. *n. 4.* & Schenck. *n. 2.* Dissent. Gothofr. & Cujac. ad, & per *c. 2. f. 101.* Dn. Vultej tract. feud. *lib. 1. c. 7. n. 32.* quoad ipsam Ecclesiam etiam Bald. *in prælud. feud. n. 57.* Sed quoniam hoc cap. extraordinarium est, quod contra ordinaria nullam habet authoritatem juxta tradita ipsius Bald. *in c. Imperialem. 2 f. 55. §. præterea ducatus n. 8. in fin.* Rosenth. *c. 7. concl. 33. n 17.* Et Ecclesiam moribus feudalibus non minus obligari quam laicos: *c. quia pr. 1. f. 1.* argumento est tenentque ad illud Alvar. *n. 14.* & Dd. communiter, teste Maranth. in spec. *part. 3. n. 93.* non video

qua ratione Ecclesia feudum recognoscere necessum non habeat, cùm etiamsi à juramento fidelitatis ea immunis sit, uti per *d. c. 101.* evincere conantur; investituræ tamen renovationem adhuc petere debet, ne aliàs tanquàm ingrata feudo privetur per *d. c. 2. f. 24.* quod in praxi etiam obtinere testatur Rosenth. *d. l.* Hartm. Hartm. *lib. 2. observ. pract. tit. de feud. 54. obs. 4. & 14.*

Quod etiam de Clericis in individuo, unò vel altero in particulari accepto dicimus. *arg. c. 2. f. 40. §. item si clericus & c. ex transmissa 6. extra de for. compet.*

Itemque de monachis (qui aliàs videntur esse distinguendi ab illis *arg. c. cum. dilectus. 8. extra de consuetud. & l. 35. C. de Episc. & Cleric.*) cùm nexu feudali omnes sine discrimine obligari possint *c. 2 f. 3 § 1. vers. personam.* Similiter & de fœminâ vasallâ *arg. c 2. f 3. §. 1 vers. fœminam. & c. 2. ff. 30.* Nec eas hic excusat ignorantia juris, quam aliàs pleræqs obtendunt; cùm recognitio de natura feudi sit, quam æque tam ad fœminas, quàm masculos pertinere concluditur *ex. c. Obertus in fin. 2. f. 2. 3.* Bald. *d. 2. f 55. §. 1. n. 1. vers. præterea* & Alvar *n. 3.* Laurent. Sylvan. *quæst. 60. n. 1. & 2.* Poteritque vel ipsa, vel per substitutum, per quem aliàs servitia præstat, renovationẽ petere *arg. c.* sequitur ibi *nisi investita fuerint & c. 1. f 4.* Curt. Jun *p 4. n. 57.* Schrad. *p. 6. c. 1. n. 1.* Aliquando tamen expressè convenit ut feudo ad fœminam perveniente idoneus substituatur: Daß auff den Fall/ ein tauglicher Lehen-Träger an des Weibes statt soll gegeben und bestellet werden.

Interim maritus uti de feudo quod in dotem accepit, servitia præstare, Alvar. & Schenck. *ad c. Titius 2. f. 13.* Sic etiam domini morte obsequente feudum recognoscere & fidelitatem jurare tenetur Rosenth. *d. concl 31. n. fin.* Non quidem suo, sed maritali nomine docente Molin. in Consuet. Paris. *§. 3. gloss. 2 n. 19.*

§. 6. Neque usquam excepti sunt rustici; adeoque & his eadem lex est, & regulariter ignorantia juris non excusantur, sibique debent imputare quod peritio res non consuluerint *per l. 2. §. ult. ff. quis ord. in bon. poss. serv. l. 9. C. de LL.* Sylvan. *d quæst. 60. n. 3.* Rosenth. *c. 6. concl. 32.* Quamvis enim pro exiguis ejusmodi feudis qualia plerunque rusticorum sunt, non adeò necessaria renovationis petitio nonnullis videatur *per l. 14. §. 10. ff. de relig. & sumt. fun.* Alvar. *ad. d. cap. investitura. §. nulla. n 3. in fin. 2. f. 3.* Attamen cùm in genere non omnia feuda rusticorum exigua sint, & præterea in exiguis quoque feudis fidelitatem faciendam esse constet,

ſtet, quum non minus ſint vera feuda atque reliqua, jam autem in quovis feudo præſtanda ſit fidelitas, *d. c. inveſtitura* §. *fin. 2. f. 3.* Dn. Vultej. *tract. feud. d. c. 7. n. 39.* ubi quidem id uſu non ſervari docet. Non video quare ad minus feudi recognitio hic non æquè neceſſaria eſſe debeat, cùm Roſenth. *c. 6. concl. 32. n. 3. & ſeqq.*

§. 7. Denique renovationem inveſtituræ quoque petere debet ſingularis ſucceſſor v. c. emtor, legatarius, donatarius qui domini conſenſu, aut alio licito modo feudum accepit. *arg. 1. f. 22. c. 2. f. 55* §. *1.* verſ. *præterea* Andr. de Iſern. *ad. d. c. 2. f. 3. n. 10.* Modo alienatio in agnatum in prima inveſtitura comprehenſum, facta fuerit, quoniam hoc caſu feudum antiquum manet *arg. c. quidam. 2. f. 14.* undè renovatio inveſtituræ præcisè petenda eſt *d. c. 2. f. 24. pr. & c. 2. f. 49. pr.* At ſi feudum in extraneum voluntate domini, aut ex conſuetudine, vel ſtatuto alienatum ſit, in perſona accipientis novi feudi induit naturam adeòque non tenetur vaſallus inveſtituram petere ſed citationem domini expectare poteſt. De quo infra pluribus.

§ 8. Quid obtineat in jure, ſi plures ejusdem vaſalli hæredes ſint, non una eſt omnium ſententia; nonnulli enim diſtinguunt utrum feudum pro indiviſo poſſideant, an pro diviſo, & quòd hoc caſu omnes petere renov. inveſtituræ & jurare fidelitatem, illo verò unum tantum domino exhibendum veniat ſervitium, unaque debeatur fidelitas, dicunt, cum Cujac. *lib. 4 feud 9. per. c. 2. f. 77* quo textu motus *c 2. f. 26.* §. *omnes filii* correxit. Sed verius eſt omnes hæredes ſive diviſim ſive indiviſim feudum poſſideant, inveſtituram petere & juramentum præſtare debere; per textum manifeſtum in *d. c. 2. f. 26.* §. *omnes filii.* licet in ſuam cauſam detortum à Cujacio, notato ab Hotoman *ad. d.* §. *omnes*; nam quisque hæredum ſive diviſim ſive indiviſim partem feudi teneat, uti vaſallus domini eſt, ita ad fidelitatem jurandam & renovationem petendam, aliaque officia vaſallitica tenetur *per d. c. 2. f. 24.* aliosque plurimos textus And. de Iſern. *ad. d.* §. *omnes. n. 1.* Roſenth. *d. c. 6. concl. 36. n. 2.* Ad *d. c. complures. 2. f. 77.* regeritur, illud extraordinarium eſſe; & fidelitatem non ex perſonis eam promittentibus, ſed ex ipſo feudo æſtimandam eſſe; ac licet adeò plurium perſonarum intuitu plures fidelitates eſſe videantur, feudi tamen ipſius contemplatione cujus nomine fidelitas præſtatur unam tantum non plures intelligi ut docet Dn. Vultej. *c. 7. n. 91.* Hartm. Piſt. *part. 2. q. 47. n. 11.* Fachin. *7. contr. 54.* Interim hoc ita non eſt interpretandum ac ſi omnes ſimul fidelitatem domino debitam facere

vide-

videantur, sed ut singuli ratione partis, quæ cuique attinet, juramentum & quidem insolidum præstare debeant. Nam juramentum quoddam individuum est, adeòq; non potest, nisi à singulis plena jurari fidelitas. And. de Isern. *c. 2. f. 26.* §. *omnes filii n. 1.* ibique Bald. *n. 1. & 8.* Alvar. *n 4.* Tiraq. de jur. primogen. *q. 85. n. 3.* JCtissimus Dn. Vultej *d. c. 7 n. 91.* Rosenth. *conclus. d. 36. n. 2.* Quisque hæredum tamen pro sua parte investituram petere, & juramentum præstare potest, neque cogendus est à domino ut expectet reliquos hæredes, donec quoq; hi veniant H Pistor. *d. q. 47. n. 14.* Rosenth. *d. l. n. 9.* quamvis & dominum sua vice reliquos etiam compellere posse, ut omnes compareant, quo unum instrumentum recognitionis conficiatur, tradat Molin. apud eund. *d. l.*

§. 9. Casu autem quo ex divisione feudum ad unum tantum pervenerit, is solus fidelitatem faciet *d. §. omnes 2. f. 26.* ibique gloss. & Dd. Idem est, si ex consuetudine, vel statuto, feudum ad primogenitum devolutum fuerit *arg. d. c. 2. f. 55. §. firmiter vers. præterea* Rosenth. *d. concl 36. n. 3.*

Quod jure Saxonico secus est: ubi reliqui hæredes omnes simultaneam investituram petere necesse habent. Aliàs postmodum à successione repelluntur, per textum *art. 32.* im Lehn-Recht. citat. à Schrader. *p. 6. c. 1. num. 7.*

Si plures sint hæredes, aliquem eligere possunt, qui nomine eorum omnium investituram petat, & juret (qui Germ. vocatur ein Lehen-Träger.) *per d. c. 2 f 3. §. 1.* Alvar. & Schenck. *ad. c. 2. f. 26.* §. *omnes.* Joh. Blanch. *lib. 1. de feud. c. 7. n. 21.* Tiraquel. *d. q. 85. n. 3. in fin.* Quod & usu Germaniæ obtinere dicit Mynsing. *Obs. 9. cent. 5. n. 34.* Dn. Vultej. *d. c 7. n 39.* sive is jam sit ex numero hæredum, sive procurator extraneus; Quamvis servitia per eum, domino invito præstare non possint hæredes, cùm in hac re, vasalli industria electa esse videatur *per c. 2. f. 6. & 2. f. 7.* Rittershus. *lib. 2. part. feud. c. 1. q. 31* Hæc autem eo restringenda sunt, ut non omnes descendentes, aut agnati investituram petere necesse habeant, sed proximi tantùm, remotiores verò excusentur *arg. d. §. omnes filii 2. f. 26.* Schrad. *p. 6. c. 1. n. 8.* Remotiores enim agnati revera vasalli nondum sunt, neque jus feudi adhuc possident. Ac regulariter renovationem investituræ petere debet vasallus qui tempore mortis domini in reali possessione feudi est *c. 1. f. 22. & 2. f. 24.*

Quo tamen non obstante jure Saxonum etiam remotissimi mutatione facta investituram petere tenentur. *d. art. 32.*

§. 10. An verò jure feudi quo nos utimur, recognitio unius liberet reliquos, quæsitum nonnunquam est. Et affirm. si v. c. plures agnati, quibus feudum defertur sint socii omnium bonorum *per l. 29 ff. de liberat. legat.* Schrad. *d. c 1. n. 6.* Rosenth. *d. concl. 36.*

Quo casu notandum est, si vasallus moriatur antequam partem feudi, quæ sibi delata, à domino recognoscat, vel socio suo eam pacto cedat, tunc ille cui ista pars accrescit, securus est, si de sua parte semel investitus sit & fidelitatem fecerit Schneidew. de feud. *p. 5. c. 1. n. 10.* Quod secus tn. est, si alterquoque de sua portione investitus fuerit, & ita nova portio magis, quàm augmentum accrescat. DD. communiter *per l. 26. § 2. ff. de pact. dotal.* And. de Isern. & Alvar. *ad. c. 2. f. 3. §. sed etiam res.* Rosenth. *d. concl. 36. n. 8. & concl. 33. n. 4 5.* Quamvis & hic *num. 6.* vasallum melius sibi consulere putet, si & hoc casu renovationem petat.

§. 11. Illud magis controvertitur, an etiam vasallus impubes, infra pubertatis annos, renovationem petere teneatur? & nonnulli hîc distingount, an tutorem habeat vel non, item, an pubertati proximus vel non sit; illisq; casibus eum quoque teneri, hoc verò, usque dum pubes factus sit, excusari pupillum tradunt. Sed neutro casu ad petendam renovationem, pupillum teneri præcisè, sive ismas sit, sive fœmina, mihi verius videtur, per generales textus *in c. 2 f. 26 §. si quis decesserit 5. & c. 2. f. 55.* & DD. utrobique cum glossa. Ipso namque jure eum tutum esse, dicunt *per dd. textus.* Quod adeò extendunt DD. & addunt, si duo fratres quorum alter minor 14. annis, alter major sit, feudum proindiviso habeant, & neuter investituram petierit, tempore legitimo, propter minorem etiam majorem excusari *per l. 10.* & ibi gloss. *ff. quemadm. servit. amitt.* Schrad. *p. 6. c. 2. n. 23.* Dn Vultej *c. 7. n. 66.*

At, si commodè dividi possit feudum, majorem, minoris privilegio excusari posse, vix crediderim, per tradit. Rosenth. *d. c. 6 concl 41. n. 2.*

§ 12. Quæritur etiam hoc loco an pubes, minor tamen 25 annis qui renovationem petere intra annum & diem neglexit, beneficium restitutionis in integrum implorare possit? Quod affirm. DD. N. si minor revera contumax fuerit, & fortè à Domino, vel aliàs admonitus tamen contumaciter emanserit *per l. 8. 9. §. 2. & §. 5. de minor*; Schneidvv. *p 5. num 30.* Rosenth. *d. c. 6. concl. 40. n. 6.* vide tn. infra *cap. 11. de effect.*

Si verò tutor, nomine pupilli, renovationem invest. petere velit, etiam sine speciali mandato admittendus est. *arg. l. 27. de administr. & peric. tut.* Rosenth. *d. c. 6. concl. 41.*

Imò

Imò & pupilli, si infantiam excesserint, authore tutore id possunt *per l. 5. in fin. ff. de R. J.* Quod etiam sine tutore ipsis licet, si fari possint & aliquo intellectu gaudeant, dominusque consentiat; sibi enim tunc habeat, quòd talem admiserit *per l. 26. pr. & l fin. ff. de jurej.* Alvar. & Schenck. *ad. §. si minori 2. f. 26.* Schrad. *p. 6. c. 4. num. 20.* Dn. Vultej. *c. 7. n. 64. in fin.*

§. 13. Cæterùm ipse, an alius pro te investituram petat, eamque suscipiat, nihil interest, potest enim hoc negotium tam à petente, quam faciente investituram, per procuratorem expediri text. *in c. 2. f. 3 §. sed utrum*; Et regulariter quoque hanc petitionem investituræ ita fieri constat, *ex c. 2 f. 58. §. item sciendum vers. item. & arg. c. accedens 24. X. de preb.* Qualis procurator etiam domino renovanti investituram, in animam vasalli uti loquuntur, fidelitatem jurare potest. Ad quod tamen speciali mandato instructus esse debet, *per c. ult. de juram. calumn. in 6tò l. 17. §. ult. de jurej.* Mynsing. *cent. 4. Obs. 99.* Gail. *1. O. 83. in fin.* Schrad. *p. 6. c. 4. n. 31.* Hartm. Pist. *2. q. 47. n. 58.* Idque paribus curiæ exhibeat juxta communem, *in c fin. f. 2.* Menoch, *cons. 1. n. 78. vol. 1. & consil. 426. n. 38.*

Et cum hoc quoque invito domino, admittendum esse procuratorem tradit Rosenth. *c. 6. concl. 37. in fin.* Quod nonnulli saltem ita admittunt, si vasallus justâ causa impeditus sit, vel feudum aliter nisi per procuratorem recognosci non possit, ut in collegio vel alia universitate obtinet, ubi nomine corporis, syndicus renovationem investituræ petit, uti vult Blanch. *epitom. jur. feud 1. c. 7.* Duaren. *de jur. feud. c. 13.*

Quem tamen, ut legitimum civitatis administratorem etiam sine speciali mandato, exemplo tutorum admittendum esse censent Andr. Sicul. *innot. ad* Bald. *in c. investitura §. nulla autem 2 f. 3 lit. A.* Rosenth. *c. 6. concl. 37 innot. lit. D.* Vel alium quendam civem, ad id peculiariter deputatum Rosenth. *d. l.*

Sed cùm pleraque negotia in quibus aliud non est expressum per procuratorem expediri possint *princ. Inst. de iis per quos agere poss & tot. tit. de procurat*; etiam hic regulariter procuratorem, cum speciali mandato admittendum esse dicimus, per superius deducta. Quod nonnulli eò extendunt, ut quoque procuratorem generalem juramentum fidelitatis præstare posse tradant, quod merito displicet, per ea quæ habet Bernh. Græv. *pract. concl. 83. consil. 1. n. 4. in fin.*

§. 14. Si verò dominus præsentiam vasalli ex causa aliqua probabili

desideret,& procuratorem admittere nolit, quod fortè suspectum habeat vasallum, adeoque præsentem admonere velit, ipse, nisi justam allegare possit excusationem comparere tenebitur. Bald. *ad. c. 1. f. 22.* Schrad. *p. 6. c. 4. n. 35.* Dn. Vultej. *c. 7. n 32.* Hartm. Pist. *p 2. q. 47. n. ult.* Ubi secundum quorundam locorum jura & consuetudines, præsentiam vasalli requiri, & in Electorali Saxonia id semper obtinere docet.

§. 15 Hodiè, Principes & Status Imperii ut plurimum per suos legatos petunt, ne ipsimet sese ita humiliare & in genua procumbere cogantur, quod generosa istiusmodi pectora haud leviter afficere, & commovere posset, uti disserit Sueder. *comp. jur. publ. part. spec. sect 1. c. 9. n. 6.*

CAP. IV.

A quo petenda sit renov. investit.

§. 1.

FAcillimè quidem constat, renovationem investituræ petendam esse à Domino (qui aliquando etiam senior in jure feudali vocatur *c. 1. f. 17. & c. 1. f. 18.*) eoque, vel primo conferente, vel illo mortuo ab ejus hærede aut successore *c. 2. f. 24. pr.*

§ 2. Interim tamen diversi casus hac in re probè discernendi sunt; & (1.) quær. si hæres domini adhuc infans sit, an etiam tunc renovatio investituræ abeo petenda sit? atque respond. Siquidem habeat tutorem constitutum, nihil impedire quo minus renovat. ab eo petenda sit Rosenth. ibique *cit. c. 6. concl. 42. n. 1.* Quod etiam de domino furioso dicimus: quia infanti comparatur *§. furiosi cum seqq. Inst. de curat.* item *§ furiosus & seqq. Instit. de inutil. stip. l. in negotiis ff. de R. I.* Schrad. *p. 6 c. 2. n. 2. 25.*

Postquàm verò infantiam egressus est dominus, cujuscunque sit ætatis, modo intelligat quid agat, sive tutorem habeat vel non; investituram renovare etiam absque tutoris authoritate eum posse tradunt DD, communiter *ad c. 2. f. 3 pr. juncto 26. & 55.* Adeoque eam petere ab eo vasallum necessum habere tenent Schrad. *p. 6. c. 2. n 31.* Rosenth. & allegati *c. 3. concl. 14 & c. 6. concl. 42. n. 3.* JCtissim. Vultej. *lib. 1. c. 3. n. 7.*

Quod de minore quidem verum est *per d. c. 2. f. 3. junct. l. 3. C. de rest. integr. lib. 2. tit. 21.* Is enim si læsus fuerit, restitutione in integrum ei succurritur *l. 1. & tot. tit. ff. de minorib.* Consultius tamen esse curatorem adhibe-

adhibere, si quem habeat, & usu servari solere ait Rosenth. *d. concl. 42. lib. 6. in not.* tum enim pupillo etiam comparatur *d. l. 3. C. de in integr. rest. minor.* Pupillum verò quod attinet, renovatio investituræ consideratur, vel ratione vasalli eam petentis vel pupilli, & domini investientis. Illius respectu renovatio petenda est, sub pœna caducitatis, sive pupillus tutorem habeat, sive non. Hoc verò respectu in præjudicium f. damnum investientis, si v. c. non justo tempore petita sit, & nihilominus pupillus dominus renovationem invest. fecerit, absque tutoris authoritate, ea non valet *arg. §. 9. Inst. de inutil. stip. junct princ. Inst. de auth. tut.* Ne igitur tale quid obsit, tutoris authoritas est adhibenda uti quoque id consuetudine observatur. Schneid. *p. 3. n. 82.* Wesenb. *c 4. num. 7.* Schultz. *c. 4. n. 41. de feud.* Et si nullus tutor sit, magistratus vices ejus suppleat *arg. l. 18. in fin. C. de jur. delib.* DD. Angel. Perusin. aliique *ad l. si curatorem C. de in integr. rest. minor. & in l. bonorum C. qui admitt ad bon. poss.*

In totum tamen notandum, quod si vasallus omisso tutore aut curatore renovationem petierit, pupillum quidem inde non obligari vasallo, hunc tamen à caducitate excusari *arg. l. 5. §. 6. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur.* Joh. Blanch. *l. c. 4. n. 7.* Rosenthal. *n. fin. concl. 42. c. 6.*

§ 3. Si dominus moriatur, uxore prægnante relicta, tunc curatorem ventri dandum, ab eoque investituram petendam esse censent Schrad. *p. 6. c. 2. num. 32.* Dn. Vultej. *l. c. 7. n. 67.* Sed distinguit Rosenth. *c. 6. concl. 42. n. 2.* an feudi proprietas pariter ad fœminas ac masculos pertineat. Si enim ad solos masculos pertineat, in incerto hoc eventu, an uxor masculum vel fœminam edat, vasallum excusandum esse tenet, atq; superaddit, hanc quæstionem ideò decidendam esse, quod aliquando usu veniat ut feudum novum sit, & vasallus jam ante mortem domini, per aliquod tempus investituram petere cessaverit, vel quòd breviori tempore quàm anno, vasallus feudum recognoscere pacto tenebatur. Sic enim contingere posse ut investitura, antequam uxor domini pepererit petenda necessariò sit, quod alioquin evenire non poterat, cùm nulla per annum integrum uterum ferat, ait.

§. 4. Deindè notandum est, si vasallus vel totum feudum, vel partem ejus, alteri infeudum contulit, Zum Affter-Lehen hat angesetzt. quod vulgò subinfeudare vocamus, renovationem investituræ à solo immediato, & proximo domino à sub vasallo petendam, eique fidelitatem præstandam esse, *c. imperialem pr. ibi à proprio domino. 2. f 55.* Cum vasalli mei vasallus, meus vasallus propriè non sit *arg. l. 105. ff. de V. S. &* DD. *ad d,*

ad. d. c. 2. f. 55. §. 2. Fallit tamen regula, si medius ille dominus forte sine successore feudali vita excedat; tum subvasalli à domino domini sui, tempore statuto feudum recognoscere debent Rosenth. *c. 6. concl. 63. n. 21. in fin.*

§. 5. Ita etiam, nisi feudum alicui expresse sub ea conditione datum fuerit, aut dominus jus suum directum in filium transtulerit, & vasallum à juramento sibi præstito liberaverit; vasallus obstrictus non est, ut vivo adhuc domino, juramentum filio ejus præstet *c. sancimus pr. 1. f. 22. c. hac sunt 2. f. 40. pr.* Dn. Vultej. *d. c. 7. n. 90.* & Rosenth *d. concl. 64. c. 6.* ubi addit, hisce tamen casibus vasallum non posse tergiversari, quin imò oportere eum recognitionem & fidelitatem obire. Pacta enim & voluntas contrahentium dant legem contractui; & sicut vasallo integrum est, feudum filio aut agnato refutare, ita non est alienum, si domino in jure suo directo tantum tribuatur, cùm ad paria judicentur. De quo infra pluribus.

§. 6. At magis arduum est, inter tot discrepantes DD. opiniones certò definire, quid obtinere debeat, si plures sint ejusdem domini filii, vel alii hæredes, an ab omnibus & singulis, an verò ab uno tantùm renovatio investit. petenda & fidelitas præstanda sit? Quemadmodum autem vasallus ab uno saltem primo domino habet feudum, adeoque per mortem domini, ex pluralitate hæredum. conditio ejus deterior fieri non debet, *arg. l. 2. §. 2. de V. O. & l. 56. de condit. & demonstrat.* Ita eum satis tutum esse dicunt, si ab uno hæredum renovationem petat. Interim, cum nihilominus durum foret, si vasallum hoc jus uni totum attribuere, & reliquis partes suas adimere posse, dicerent, superaddunt, vasallum domini hæredes prius requirere debere, ut unum eligant, cui fidelitatem, & servitia præstare velint. Quòd si verò hæredes de eo non conveniant, ipse vasallus eligendi potestatem habeat, eique se nomine omnium juramento astringat Hartm. Pist. *p. 2. q. 47. n. 26.* Dn. Vultej. *d. c. 7. n. 95.* Rosenth. *c. 6. concl. 38.*

§. 7. Cæterùm, vasallus ad hanc renovat. investit. petendam tenetur, etiamsi jam ante domino & successoribus ejus fidelitatem fecerit; nam ad duo distincta obligatur vasallus, sc. ut investituram petat, & juramentum fidelitatis præstet *d. c. 2. f. 24. pr. & c. 2. f. 40.* ibique DD. Et quamvis hoc casu à novo juramento fidelitatis liberetur vasallus *c. veritatis. extra de jurej. & ibi gloss.* ad illud tamen nihilominus tenetur, quia ab uno ad aliud non rectè infertur.

§. 8. An

§. 8. An verò à domino ipso peti debeat, an etiam ab ejus mandatario possit quæri? & ℞. Perinde esse; ac plerumque ab iis, qui Regum vel Principum locum tenent in gubernatione regnorum & terrarum, eorumque cancellariis hodiè peti solere Rosenth. *c. 6. concl. 63. n. 2.* ubi etiam *n. 3.* tradit à Syndicis, Prælatis, Administratoribus civitatum & universitatum, puta consulibus eam impetrari debere.

§. 9. Renovationem investiturarum de feudis Imperii tamen ab Imperatore petendam esse constat de quo in *Capit. Ferdin.* II. & III. Imp. *art. 29. & 39.*

Sed cùm vacante Imperio, etiam potestas renovandi investituras, & juramenta fidelitatis recipiendi Vicariis Imperii concessa sit per A. B. *tit. 5.* illa ab his etiam petenda erit. Exceptis tamen feudis Regalibus, quorum investitura soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reservatur *d. tit. 5.* A. B. Ut adeò indultum s. Gonts-Brieff in hisce feudis ab iis petere supervacaneum sit, etiamsi tempus petendæ investituræ præfixum, durante vicariatu sit elapsurum. Limnæ. ad A. B. *c. 5. §. 1. Obs. 19.* Nec obstat Recess Imp. de anno 1521. §. und behalten / uns bevor, utpote de hisce Vicariis Imperii ordinariis non intelligendus.

Interim regulam hic in utroque feudorum regalium genere, Ecclesiasticis æque ac secularibus procedere, & non magis feudorum ecclesiasticorum collationem competere Vicariis, quàm secularium, quia licet non sint Fahn-Lehen; ragalia tamen feuda esse, & hodiè eodem cum secularibus ritu conferri tradunt Diter. & Bechman. ad A. B. *d. tit. 5.* § *1. ad verba: feudis Principum. &* Limnæ. *l. 3. c. 12. n. 78.* Sed quid si duo de Vicariatu, vel etiam de hæreditate domini contendant? ℞. Si alteruter horum in possessione sit, pro eo præsumitur. *l. fin. C. de rei. vindic.* adeoque etiam ab eo petenda erit renovat. invest. Quamvis tam à petitore quàm possessore renovationem petere posse vasallum concedant DD. si protestetur, se eum tantum recognoscere velle, qui potius jus habere reperiatur. *arg. l. fin. C. de hered. pet.* Schenck. *ad c. prima autem 2. 24. f. n. 7.* Rosenth. *c. 6. concl. 52. n. 3. & 4* Schrad. *p. 6. c. 2. n. 24.*

Ex quibus colligitur, quid dicendum, si duo Imperatores discordantibus Electorum votis creati fuerint.

CAP. V.

De objecto, & renov. investit. ipsa.

§. 1.

INvestituræ ipsius vocem barbaram & à Germanico Vesten quod stabilire & confirmare significat, deductam esse censet Hottoman. in *comment. de verb. feudi.* Rittershus *lib. 1. c. 1. q. 2.* Nobis tamen investituram ab investiendo dictam, magis est ut credamus, quòd vasallus possessione quasi veste induatur; quare & nonnunquàm investitio appellatur. *c. 1. f. 26. & 1. f. ult.* Est enim solennis feudi traditio, à domino vasallo facta *arg. c. 2. f. 2.*

Ab aliis contractus, vel actus solennis nomine minus aptè definitur, quod vel ex eo patet, quòd conventionibus rerum dominia & jura realia non transferantur *l. 20. C. de pact.* Actus verò nimis generale vocabulum est, ac genus admodum remotum in eo constituitur.

§. 2. Hæc autem investitura est vel novi beneficii, vel veteris *per c. 2. f. 3.* Illaque feudum de novo adquiritur *c. Obertus in fin. 2. f. 1.* Hac verò jam adquisitum confirmatur, & renovatur *d. c. investitura pr. ibique gloss. 2. f. 3.*

§. 3. Quæ ideò solet definiri quod sit feudi legitimè adquisiti, domino vel vasallo mutato, nova fidelitate promissâ solennis confirmatio, *per d. c. 2. f. 3. c. 2. f. 24. 2. f. 32.*

§. 4. Adquiritur autem feudum vel prima investiturâ, præscriptione vel successione. Duaren. *de feud. c. 7.*

§. 5. Ad substantiam hujus renovationis non pertinet, ut dominus vasallo simul cedat possessionem, uti quidem in prima investitura obtinere videtur; quamvis id aliquando & hic fieri soleat, si ad eum fortè possessio pervenerit Rosenth. *c. 6. concl. 29 n. 5.* Dn. Vultej. *c. 7. n. 104.* Nam ea plerumq; jam est penes vasallum vel alium tertium, à quo peti potest. *c. 2. f. 8. §. res autem.*

§. 6. Cùm verò 110. genera feudorum enumeret Joh. Th. de Marin. *de gener. & qualit. feud. in proœm.* non absque ratione quæritur in quibus hæc renov. petitio necessaria sit? & Rx. Feudorum omnes species ad duo summa genera optimè reduci posse, ut omne feudum, proprium, vel improprium sit; Ad proprii autem feudi naturam pertinere, ut hæres vasalli intra annum & diem vel etiam vasallus ipse primus post obi-

tum

tum domini investituræ renovationem petere cogatur *c. 2. f 24.* & DD. *in c. 2. f. 3. pr.* Unde colligitur, quid obtineat in feudo per præscriptionem adquisito; cùm hoc ipsum per omnia, & in omnibus feudi proprii naturam sapiat Schrad. *p. 6. c. 1. n 3.*

Ad hæc tamen notandum est, quòd feudum improprium semper in reliquis capitulis, in quibus nec dispositione juris feudalis, nec pacto expresse aliquid mutatum reperitur, proprii feudi naturam retineat *c. 2. f. 48.* Nam & in feudo franco nihilominus renovatio investituræ est petenda, Rosenth. *c. 6. concl. 39. n. 3.* aliisque feudis similibus. Adeoque, licet feudum, in quo hæc recognitio non est necessaria, feudum improprium sit, attamen non in omni feudo improprio petitio renovationis remissa est.

§. 7. Expeditur hæc confirmatio, eodem ferè modo quo nova investitura facta est. Nisi quòd hic jus feudale etiam testes extraneos admittat *c. 2. f 32. vers. de veteri autem*; Imò docente Obrechto *tr. feud. lib. 2. c. 8 n. 76.* hodiè in plerisque Germaniæ & aliis locis perinde est, utrum testes adhibeantur necne, & utrum testes adhibiti sint, pares vel extranei, sed instrumentum tantum sigillo domini confirmatum vasallo dari solet, Schrad. *p. 5. c. 6. n. 57.* Rosenth. *c. 6. concl. 65.* quod aliàs etiam DD. breve testatum vocare solent ein Muth-Zettel / Wehn. *in voc.* Muth-Zettel; & ad quod dominus vasallo, sicut & è contra vasallus domino ad antapocham s. reversales: einen revers tenetur, plenamque hodiè facit probationem, & quòd aliquando juramentum respectu ejusdem feudi jam ante præstitum, non sit opus ut repetatur, uti Franzk. *tr. de laudem. n. 29.*

§. 8. Quæ autem circa actum investituræ feudorum Imperii nostri ceremoniæ & ritus sint, tradit Limnæ. *tom. 1. addit. ad lib 4. c. 7. p. 429.* Arum. *de comit. c. 8. n. 73.* Francisc Irenæ. *mantiss. ad Instr pac. p. 34.* Et peragitur ex hodierna consuetudine, in aula Imperatoris, in conclavi quod vocant die Ritter-Stube. Franc. Irenæ. ad Burgoldens *p. 3. p. 43.* Nisi pactione, vel privilegio aliud singulare receptum sit; uti in Archiducibus Austriæ videmus, qui ex concessione Caroli V. recto capite equo insidentes investituram accipere ubivis in Austria possunt.

§. 9. Ex observantia, Principatuum ac Ducatuum investituras tan-

sterum adhiberi possunt, & regulariter renovatio nihil novi in se continere debet, sed quod in priori reperit, confirmare Rosenth. *c. 6. conc. 124.* Nisi inter dominum & vasallum aliud conveniat, per tradit. Diter. *ad A. B. tit. 29.* Limn. *in addit. tom 1. ad lib. 4. c. 7. n. 32. p. 434. & seqq.* Oldenb. in Limnæ. *enucl. lib. 2. c. 18. n 15.*

§. 11. Finito denique actu, super eo confici solet instrumentum, tenori primæ investituræ conforme Capitulat. Math. Imp. *art. 40.* Ferdin. II. *art. 39.* III. 42. IV. 40. Leopold. *art. 34.* & Joseph. hodierni Regis Roman.

Quod certo pretio redimi solet, & dr. den Lehen-Brieff lösen. Debebant autem juxta præscriptum A. B. Imperii Principes ecclesiastici & seculares olim solvere officialibus Imperialis Curiæ Sexaginta tres marchas argenti. Nisi eorum aliquis privilegio tueri se potuerit, & probare se exemtum esse. A qua præstatione Electores debebant esse immunes, nisi ultrò & liberaliter Officialibus Cæsareis aliquid largiri voluerint. A. B. *c. 26.* Reliqui verò Principes, quid & quantum hodiè solvant, & quas inter personas distribuatur docet Limn. *ad. lib. 4. I. P. c. 7. in tom. 1. addit. p. 436.* & Sprenger. *Lucern. mod. stat. p. 160.* Et has erogationes etiam ratione horum Principum non amplius sub titulo taxæ, sed honorarii magis vulgò Lehen-Regalien hodiè fieri docet Myler *all. c. 92. in fin.*

§. 12. Sed in genere adhuc notandum est, pretii hujus (quod laudemii nomine DD. venit & distinguitur in majus & minus, hohe und kleine Lehen-Wahr) solutionem ab eo quod in emphiteusis alienatione 50. pars pretii ex edicto Justiniani *in l. f. Cod. de jur. emphit.* solvi debebat, exusu quorundam locorum extensam fuisse ad feuda, eaque imprimis plebeja Knichen. *p. 2. c. 4. n. 143. de vestit. pacton.* Et solvitur juxta nonnullos regulariter pro illa investitura, qua dominus in locum alterius, novum recipit ac investit vasallum *arg. d. l. fin.* Si verò non recipiatur novus vasallus, quamvis novus constituatur dominus, hunc renovare investituram, absque præstatione laudemii debere dicunt Coler *dec. 35. n. 37.* Hartm. Pistor. *l. 1 q. 59. n. 50.* At verius est, nec illo casu regulariter illud deberi, sed ex natura juris feudalis, investituræ renovationem gratuitò faciendam esse. *arg. c. 2 f. 3.* Nisi forte pacto, aut consuetu line loci, vel curiæ id expressè requiratur Andr. de Isern. *ad. c. 2. f. 12.* Hartm. Pistor. *l 1. q. 50 n. 61.* Uti de Gallia Duaren. *c. 13. n. ult* Cujac. *ad c 2 f 7.* de Sabaudia Guid. Pap. *dec. 415. n 3.* In Germania autem nostra passim, pro instrumento renovationis investituræ, [illegible] non domino feudi, sed cancellariæ exsolvenda sunt. Setz. D. Feud. [illegible], Schneid. *p. 5. n. 61.*

CAP. VI.

CAP. VI.

De forma & modo petendi renov. investituræ.

§. 1.

CÆterùm esse rei consistit in forma, sine qua nunquam incipit doc. Bald. *in l. cum quis ff. de jur. & fact. ignor.* quare & de hac dispiciamus; & cùm superius expositum sit, investituram esse vel novi beneficii, vel veteris, jam addendum erit, quod illius investituram vasallus petere non obligetur, sed tutò expectare possit, donec à domino ad eam recipiendam citetur. DD. *ad. c. 2. f. 24. pr.* communiter. Jure enim feudali, nullum certum tempus petitioni hujus investituræ præfinitum est. Sed è contrario, hanc sc. renovationem investituræ beneficii veteris ex se ipso petere, & ad ea quæ de jure præstanda sunt, ultrò se offerre debet vasallus *c. 1 f. 22. & d. c. 2. f. 24.* Siquidem hic adest dies certus, qui interpellat pro homine, & pœna, quæ sine hominis interpellatione, ex legis præscripto committitur.

§. . Sunt autem solennia, quibus adhibitis renovatio petenda est, vel generalia vel specialia. Hæc, pro varietate locorum & tenoris primæ investituræ, plurimum variant, ita, ut nihil certi de iis definiri possit. Ex illis verò frequentia, secundum quæ vasallus ad renovationem agere ac se gerere debet in jure feudali reperiuntur.

§. 3. Ut, vel 1mo Vasallus dominum adeat, non ambitiosè vel insolenter, sed humiliter & devotè, atque sic renovationem investituræ ab eo petat *c. 2 f 23.* gloss. & DD. *ad. c. 2. f. 3. §. nulla.* Eo ipso tamen genua flectere & coram domino in terram procumbere necesse non habet. Nisi statutum vel consuetudo loci id specialiter requirat, Jac. d. Bellov *in d. c. 2. f. 3. §. nulla.* Ampliss. Dn. Vultej. *d. c. 7. n. 102.* Rosenth. *c. 6. concl 65. n. 7.* uti Jure Saxonico im Lehn Recht *art 22* & pluribus aliis curiis obtinet. Vel etiam si dominus feudi Rex fuerit, ut notat Cravett. *cons. 517.* Schrad. *p. 5. c. 1. n 19. in fin.*

§. 4 Præterea, vasallus verbis honorificis & ad rem aptis v. c. Mi reverende domine, talis rei vel fundi quem à te possido, vel possideo te de-

è vivis excessisse, seque ei hæredem esse narret, neque tamen renovationem investituræ petat, officio suo defunctus non esset dicendus, sed nihilominus feudo privandus foret DD. *per c. 2. f. 4. & 2. f. 55.* Ex æquitate tamen secus esse putem, si vasallus veniat & simpliciter fidelitatem promittat. *arg. c. utrum 2. f. 4.* Rosenth. *d. c. 6. concl. 55. lit. B.* An verò oblatio expressa fidelitatis hic necessaria sit? nonnullis controversum est. Sed sufficere dicimus, si eam vasallus facere non recuset *arg. c. 1. f. 22. 2. f. 55. in fin.* Eo ipso enim se tacite ad fidelitatem offerre intelligitur, dum investituram petit, cùm sine ea investituram nequeat impetrare *d. 2. f. 3. in fin. & l. 2. ff. de jurisdict.* Idem Rz. ad quæst. de oblatione laudemii; de quo tamen etiam supra pluribus.

§. 5. Non autem semel atque iterum tantum petere investituram, sed & petitionem hanc vasallus prosequi, & diligenter apud dominum instare debet *arg. l. un. §. ult. ff. de libell. dimiss. & l. 16. C. de decur. lib. 10.* Eumque se probet vasallus, qualem se dicit, si v. c. dominus inquirat; an successor sit vel non. Isern. *c. 1. f. 22. n. 10.* Nec antequam responsum à domino acceperit, recedat; Si enim sine permissu vel licentia recesserit, feudo privari poterit, ac si renovationem non petiisset *arg. can. certum est 43. c. 11. q. 3.* Andr. de Isern. *ad. d. c. 1. f. 22. n. 10.* ibique Alvar. *n. 13.* Math. de Afflict. *n. 36.* Dn. Vultej. *d. c. 7. n. 102.* Schrad. *p. 6. num. 8. c. 3.* Interim, necessum non est, ut vasallus post annum & diem adhuc dominum 15 dies expectet, & 4. instrumenta confici curet, ex quibus appareat, quòd dominum tamdiu expectaverit, uti vult Math. de Afflict. *d. l. n. 40.* Si enim dominus breve testimonium, quô petitam esse investituram fatetur, non dederit, vel debitum responsum in forma probante vasallo negaverit, vel sine justa causa distulerit, hic de alia probatione debet esse sollicitus. Rosenth. *c. 6. concl. 65 n. 6.*

§ 6. Sed ad hanc ipsam renovat. investit. petitionem, an etiam requirantur testes, & an his non adhibitis ea invalida sit quæri? Quod plerumque affirmant DD. per *c. 2. f. 2. pr. & 2 f. 32.* idque confirmari ex jure Saxonico im Lehn-Recht. *art. 22.* ac ibi non aliter ratam esse investituræ petitionem dicunt, quàm si coram paribus curiæ facta fuerit. Sed rectius negatur cum gloss. *in c. investitura §. nulla autem 2. f. 3.* Schrad. *p. 6. c. 1 n. 21* cùm nusquàm in jure feudali id constitutum reperiatur, quod autem lex non requirit, nec nos requirere debemus *l. 16. C. de Collat.* Confundunt enim DD. petitionem cum actu renovat. investituræ ipsam consequente, de qua dd. textus conceptis verbis loquuntur.

CAP. VII.

CAP. VII.

De loco, ubi renovatio investituræ petenda sit.

§. 1.

Cùm propter impensas, & sumtus quos vasallus in petenda renovatiõne investituræ facere, aliaque incommoda quæ occasione ejus ferre nonnunquam debet, multum ejus intersit, nec non domini ipsius causa permagni illud referat, ubi renovatio petenda sit, de hac re nonnihil inquirere hic quoque operæ pretium erit; Et æquius ac verius simul est, vasallum nonnisi in curia domini, & habitatione ejus consueta, renovationem investituræ petere debere, Schrad. *p.6. c.3. num.10.* Nec extra territorium vel domicilium ejus consuetum eum sequi necessum esse; ex ratione *l.35. §.2. ff. de procurat.* Quoniam enim hæc res jure feudali expresse decisa non est, ideò ea ex jure civili petenda erit, quo cautum est reum debendi ad evitandam moram non teneri creditorem in alio foro perquirere Bart. *in l. item illa ff. de const. pecun.* Jason. *l. 2. n. 92. C. de jur. emphit.* ubi etiam explicant, quando dicatur esse ejusdem vel diversi fori. Aliud tamen esse DD. communiter volunt, si dominus fuerit in vicinia, quo sine periculo & magno sumtu pervenire facilè possit vasallus. Dn. Vultej. *d. c. 7. n 74. in fin* Schrad. *p. 6 c. 2. n. 39 vers. hoc tamen, & n. seqq.* Corbul. *de jur. emphit. c. 5. n. 19 & seqq.* Quod judex, quando dici possit secundum loci, temporis, personæ, & feudi qualitatem ex æquo & bono arbitrabitur *per l. 13. in fin ff de ann. legat. l. 4 §. 9 ff. de damn infect. l. 137. §. 2. ff. de V. O. & l. 2. §. pen. ff. si quis caution. &c.* Alvar. *ad c. 1. f. 22. pr. n. 1.* & gloss *in c. fin. verbo vicinarum de pœn, in 6to.*

§. 2. Si tamen Dominus Procuratorem, vel aliàs vicarium aliquem domi reliquerit, ab hoc investit. renovationem petere potest vasallus *c. 2. f. 3. §. 1. vers. Sed utrum ibique* gloss. *& DD.*

Nimium autem quantum inter DD. disceptatur an etiam in alieno territorio dominus feudi investituram facere possit. Nonnullis ob id quòd renovatio investituræ res voluntariæ jurisdictionis sit, id affirmantibus, aliis verò quòd ea contentiosæ magis jurisdict. esse videatur, id negantibus. Sed hunc neque voluntariæ neque contentiosæ propriè juris-

CAP. VIII.

De tempore quo renov. investit. petenda sit.

§. 1.

PRæterquam autem quod omnis actus, in jure exposcat suum commodum tempus, & multum referat, quo tempore quidque fiat *l. 6. C. de offic. Rect. provinc.* reverentia tamen erga dominum hic maximè requirit, ut vasallus petiturus renovationem investituræ, veniat congruo & opportuno tempore; Quod an etiam sit noctis, prandii, vel balnei quæsitum est, & negat Zas. *de feud. p. 7 num 10.* Schrad. *p 6 c. 3. num. 10.*

Interim non putarem, si vasallus etiam ultima nocte temporis præstituti veniat, investituræque renovationem petat, eum ob id solum feudo privari posse, quamvis eum dominus eo tum tempore audire nolit; integrum namque hoc tempus anni & diei, atque ita quoque noctis illud vasalli arbitrio relictum est, per *c sancimus pr. 2 f 24 c. 2. f. 40.* & *2. f. 55. pr.* juncta *l. more ff. 8. de fer.* Nec est quod dominus interesse vel periculum aliquod prætendat, quare vasallum jam audire non possit & ideò feudo eum privare velit. Nam dominus statim surgere & investituram facere non habet necesse, uti nec creditor, cui debitor offerret solutionem, eam statim recipere tenetur, sed si fortè pœna adjecta sit; sufficit ad hoc ut vasallus à caducitate excusetur.

§. 2. Cùm autem tempus sit duratio, secundum quam principium & finem res quævis ex se habet; jam quoque videamus intra quod igitur tempus renovatio investituræ petenda, & denique quale illud sit. Et hic tenemus communem illam, veriorem quoque esse DD. opinionem qui distinguunt, inter paganum & militem, atque huic annum & mensem *per c. 1. f. 22.* illi verò annum & diem ad petend â investituræ renovationē præfinitum esse per *c. 2. f. 24 pr. 2 f 52. §. fin. 2 f 55* dicunt. Quod privilegium quidem non ad omnes, sed actu & reverâ militantes per ea quæ tradunt gloss. & DD. § *sed hactenus Instit. de militar. test. l. pen. C. eod. Clar. lib 3. sentent. § testamentumq 15.* Schneidevv. *tr. feud. p 5 num. 3.* Rosentb. *c. 6. concl. 30.* militesq; etiam præsidiarios & limitaneos Bocer. *tr de bell. & duell. p. 1. c 28.* Baro ab Enenk. *de privil milit.* aliosque in castris versantes nostri temporis, utpote in quibus eadem ratio subest, quoque pertinere dicimus cum Schneidevv. *ad pr. Inst. de test milit. n. 8.* Gail *2. obs. 118.* Amplis. Dn. Goedd. *ad tit de contrah stip. c. 7, n. 302.*

Hodiè verò per Recess. Imper. de anno 1521. §. Und behalten uns bevor. Renovationem investituræ intra annum peti solere docet Schütz. *colleg.*

colleg. ad jus feud c.8. cum Limnæ. *de jur. publ c.7.n 4.* Sueder. *comp. jur. publ. part. spec sect. 1. c 9. §. 6.* Uti verò hæc constitutio tantum loquitur de Statibus Imperii, ita quoq; inter illos solū obtinere, inter alios autem jus feudale comune adhuc dum vigere, rectè asseritur à Schütz *d. l.*

§. 3 Quænam autem sit ratio, cur præcisè annus & dies sit præstitus, & an propterea factum sit à feudistis, ut controversiam illam præcidant num dies termini etiam conputetur in termino, vel an nulla melior ratio reddi possit, quàm quod moribus ita receptum & hoc tempus moderatum & sufficiens visum fuerit, vel denique quia anno præter lapso, vasallus jam fructus ex feudo percepit, eòque moneatur ut insignum gratitudinis erga dominum, feudum denuò ab ipso recognòscat, ulterius inquirere præsentes paginæ non permittunt.

§. 4. Illud etiam quæritur, quot ergò dies hic mensem constituant? Et quamvis circa ejusmodi negotia 30 dies regulariter computentur per Rec. Imper. de an. 1542 §. Aber die Reuter-Bestallung. Ord. Cam*p. 2. c. 30.* §. Und sollen: DD. tamen comuniter in casibus favorabilibus 31. dies concedant *ad l. 101. de R. I.* adeoquè & hic favore militiæ assignandæ videntur.

Nonnullibi autem consuetudine vel statuto longius vel brevius spatium præscriptum, vel pacto investituræ adjecto receptum est. Ita in Saxonia annus & 6. septimanæ, Lehn-Recht *art. 22. 25.* In Gallia 40. saltem dies vasallo ad investituræ renovationem petendam, conceduntur. Consuet. Bituric. *tit. de feud. §. 7. & ibi* DD.

§. 5. De hoc certò non constat inter DD. an si partium conventione tempus illud legale mutatum fuerit, semper pœna amissionis feudi ibi sub intelligenda sit, quando vasallus illud non observaverit. Plurimis in casum quo terminus petitionis communi cònsensu prorogatus fuerit, id affirmantibus; & è contrario si ad 3. 4 vel pauciores menses coarctatus fuerit, arbitrio judicis id relinquentibus, ut pro ratione circumstantiarum mulcta arbitraria vasallum afficiat, & ad præstandam fidelitatem compellat Rosenth. *c. 6. concl. 57 num. 4.*

Planum verò illud est, dominum invito vasallo tempus à lege præscriptum non coarctare, *arg. l. 4 §. 5 de re jud. l 74 l 186. de R. I.* Schrad. *p. 6. c. 2. n. 2.* uti quidem ei permissum est jure Sax in Lehn-Recht *art 22 inf.*

gatur, ita ut si contra fecerit, æque feudo privari possit ac si post investituram ea negligeret per *c.2 f.24.* §.*1.* & §. *item qui ibique* Jacob. de Bellov. *add.* §.*1.* Alvar. *num. 15.* Schenck. *num.7.*

§ 7. At cùm plane hoc tempore semel effluxo, vasallus moram purgare non possit, sed feudum perdat Mynsing. *cent.5. obs.9.* quale tandem illud sit, continuum an utile breviter etiam videamus; Et de utroque participare, ac ratione progressus, si semel currere cœpit continuum, ita ut etiam dies feriati computentur, ratione initii autem utile esse tenemus; quia demum à die scientiæ currit, postquam vasallus mortem domini vel hæredes vasalli mortem hujus resciverint per *c.2 f.9.* § *1. ibi ex quo sciverit c.2. f.24.* & *2. f 40.* Habet enim hæres mortui vasalli justam causam ignorantiæ *l qui in alterius 42.ff.de R. I* Nisi illa ignorantia esset supina, & culposa, ut quia ignorat illud quod omnes de civitate sciebant *l. 6. de jur. & fact. ignor.* H.Hartman *2. obs. pract. for. 11. n 17.* Imò in processu etiam hoc tempus utile est, quoad impedimenta, ita ut etiam quoad casum qui in medio cursu anni superveniat vasallus excusetur. Mynsing. *cit. loc.*

§.8. Nec opus est, ut si tale aliquod adsit impedimentum ob quod vasallus omittat recognitionem, ideò postea in integrum restituatur, sed ipso jure tutus est per *c. sancimus pr.1.f. 22.* Imperatorem tamen si investitura intra legitimum tempus peti non possit indultum concedere solere cujus beneficio, Regalia administrentur usque dum illud prorogatum effluxerit, tradit Schütz *colleg. jur. f. c.8.* & *Coll. publ. de stat Reip. Rom. disp. 6. th.26.* per *R. Imp. de anno 1521.* §. Und behalten uns. Sed an propterea etiam, si legitima adsint impedimenta, vasallus necessariò ejusmodi indultum petere teneatur, ex modo dictis & iis quæ supra de hoc recess. jam attigimus facile colligitur.

Et tantum hic pro tempore, quô ipsô jam exlcusus pluribus non immoror, sed ea quæ ad causam efficient. final. effectum & contraria pertinere vindentur, in proximum mihi rejicienda sunt; ubi fortè limatiora his vel nonnullibi etiam diffusiora si res id postulabit, Deo dante sequentur.



COROLLARIA.

I. Ex funestissimi belli nuper vix dum remissi, iniuria, collapsa subditorum opes, remissione tributorum publicorum haudita restituentur, quàm si Novella 122. sanctio probè ad usum revocetur.

II. Pœna adulterii, qua lege Mosaica capite luitur, sanctionis est moralis, & iudices in anima foro ita ligat, ut eam mitigare vel in pœnam pecuniariam commutare nequeant. Mores tamen ferè totius Europæ hanc pœnam mitigarunt, ob fragilitatem sexus in fœminis; Sed meritò jure plurimi nostri Imperii Principes, legibus suis topicis eam quasi postliminio receperunt.

FINIS.

